DIE IX. JULII.

SS. ZENONIS ET SOCIORUM

MARTYRUM.

DUPLEX.

(Omnia de Communi plurim Mart., præter sequ.)

ORATIO.

Deus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere : ad amorem tuum nos misericorditer per sanctorum Martyrum tuorum Zenonis et Sociorum ejus exempla restaura. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

LECTIO IV.

Temporibus Diocletiani et Maximiani contigit, ut eorum consilio omnes ubique positæ legiones lustrarentur, et qui in eisdem reperti christiani milites essent, exuti militia ac penitus exarmati, vincti Romam perducti tamquam servi adscripticii, Thermarum operibus fuerint mancipati : Thermis vero absolutis, qui constantes in confessione nominis Christi, nullis fracti laboribus, perstitissent, ne laborum opere alleviati (quod ingens esset illorum numerus) aliquid in imperium molirentur, omnes pariter capitis sententia condemnarentur.

R. Sancti tui.

LECTIO V.

Repertus est omnium numerus decem millium ducentorum trium, qui omnes una cum Zenone tribuno, qui inter eos dignitate excellere videbatur, extra Urbem, porta Trigemina ducti sunt : et in concavo vallis, in loco dicto Gutta jugiter manans, ad aquas Salvias, ad unum omnes necati sunt, septimo Idus Julii, quo celebri memoria annuatim, eorumdem

triumphi dies natalis recolitur.

R. Verbera.

Sermo sancti Ambrosii Episcopi.

Serm. in Nat. Ss. Nazarii et Soc. 93. post med.

LECTIO VI.

Honoremus beatos Martyres, principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei. Quod si dicas mihi : Quid honoras in carne jam resoluta atque consumpta, de qua nulla jam Deo cura est ? Et ubi est illud, carissimi, quod ipsa Veritas loquitur per prophetam ? Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Et iterum : Mihi autem valde honorificandi sunt amici tui, Deus. Honorare debemus servos Dei : quanto magis amicos Dei ? De quibus alio loco dicitur : Dominus custodit omnia ossa eorum, et unum ex his non conteretur.

R. Tamquam aurum.

IN III NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 10 *c.*

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Nihil est opertum, quod non revelabitur : et occultum, quod non scietur. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 35 *in Matth.*

Vides, quomodo non promittit se illos a morte liberaturum esse, sed mori permittit, majora largiturus, quam si id non permitteret. Longe enim majus est suadere ut mors spernatur, quam a morte eruere. Non itaque illos in pericula conjicit, sed reddit periculis superiores, brevique sermone doctrinam de immortalitate animæ in illis inserit, ac duobus tribusve verbis sic inserto salutari dogmate, aliis illos ratiociniis consolatur.

R. Propter testamentum Domini, et leges paternas, sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis : * Quia unus fuit semper spiritus in eis, et una fides. V. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Quia.

LECTIO VIII.

Ne enim putarent se occidi et jugulari, quod quasi derelicti sint, de providentia Dei sermonem inducit, his verbis : Nonne duo pas-

seres asse veneunt ? et unus ex illis non cadet in laqueum sine Patre vestro qui in cœlis est. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Quid enim vilius illis ? inquit : attamen nunquam, Deo ignorante, capientur. Non enim operante Deo cadere dicit : id enim indignum Deo esset ; sed nihil gestorum illum latere. Si ergo nihil eorum quæ accidunt ignorat, vosque sincerius quam pater amat, atque ita amat ut etiam capillos vestros numerarit, nihil utique timendum.

R. Sancti mihi, qui in carne positi, certamen habuistis : * Mercedem laboris ego reddam vobis. V. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria. Mercedem.

LECTIO IX.

Hoc vero dixit, non quod Deus capillos numeret, sed ut accuratam notitiam magnamque circa eos providentiam ostendat. Si ergo omnia quæ fiunt novit, si vult nos salvos facere, et id potest, si quid patiamini, ne credite vos derelictos illa pati. Non enim vult vos a malis eripere, sed suadere ut mala contemnatis : nam hæc vere liberatio est a malis.

Te Deum laudamus.

Concordat cum originali a S. R. C. approbato.

Imprimatur :

† Eduardus Car. Arch. Marianopolitanus.

Marianopoli, die 6 decembris 1892.